



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac  
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,  
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt II. Vitae Sancti Avgvstini series.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11321**

his sunt inprimis ij, qui nigra vtentes veste, Benedictinorum nomen retinent, item Cluniacenses, Camaldulenses Vallis-Vmbrenses, Mont'Oliuetenses, Grandimontenses, Cistertienses, Syluestrenses, Humiliati, Cœlestini, Eremitæ D. Hieronymi per Martinum V. Pont. Max. in familiam Benedictinam adsciti, & alij. De quibus vide Origines nostros Benedictinos.

Sanctus Franciscus, natione Italus, patriâ Assisias, ordinem fratrum Minorum instituit ab Honorio III. Pontif. Max. comprobatum. Utuntur ij tunica vna natiui velleris & funiculo præcinguntur, suntque distincti, in Observantes & Conuentuales. Eiusdem Sancti Francisci signa sequuntur Capuccini, Amadeani, Recollecti Clarissæ moniales, & alij Religiosi cœtus reformati; migravit autem ex hac vita Sanctus Franciscus anno Christi 1226. à Gregorio IX. in Diuos relatus anno millesimo ducentesimo vigesimo octauo.

## CAPVT II.

VITAE SANCTI AVGVSTINI  
*ni series.*

**A** NNO à partu Virginis 354. Idibus No- ANNO  
uembris Sanctus AVGVSTINVS 354.  
natus est Tagastæ in Africa, haud longè à

A 2

Car-

Carthagine, ex patre catechumeno, nomine *Patricio*, Carthaginiēsi, & matre recēte Christiana, nomine *Monica*. Fratrem *Nauigium*, *Lastidianum* verò & *Rusticum* cōsobrinos habuit, socios *Alipium* & *Euodium* Tagastenses, ac *Nebridium* Carthaginiensem. Adhuc puer Tagastæ, Madauris, & Carthagine, liberalibus disciplinis operam nauauit. Et à matre Christi doctrina institutus fuit: eius tamen baptismus tum ab ipso, tum à matre est dilatus: quod factum ipse non probat lib. Conf. I. cap. 2. Præceptorem habuit *Manilium Theodorum*, virum præstantissimum & Christianum. A Etatis anno 16. Discipulus esse desijt. Anno decimo octauo filium *Adeodatum* Carthagine genuit. Et sequenti anno, iam defuncto patre ante biennium, cùm Ciceronis librum, titulo Hortensium, de Philosophiæ laudibus & defensione perlegisset; paulò pòst in Manicheorum sectam lapsus est; in qua annis nouem vixit. Vigesimo primo ætatis anno Aristotelis Categorias legit, atque omnes artium Liberalium libros euoluit. Mathematicam, Musicam, Arithmeticam sine difficultate, nullo præceptore, intellexit: ac Rhetoricam, quàm in patria professus fuerat, Carthagine anno suæ ætatis 24. publico stipendio docere cœpit. Quo tempore libris Genethliacorum penitùs se dedit. Discipulos inter alios habuit præcipuos *Trigetium* & *Licentium*, suos ciues.

ciues. Cùm vigefimum nonum ætatis annum ageret, Fausti Manichæi (quem doctiffimum existimauerat) detectis erroribus, Carthagine adhuc degens, à Manichæorum feçtâ reuocare fe ipfe paulatim cœpit. Quo etiam anno Romam ex Africa, in fcia matre, venit, vt in Vrbe artem Rhetoricam profiteretur. In eunte autem anno trigefimo Mediolanum, publico ftipendio accitus, profectus eft, vt ibidem Rhetoricam doceret: vbi à matre pofttea inuentus, atque eiusdem precibus, & frequenti *Ambrosij* Mediolanenfis Epifcopi auditione commotus, Manichæos, qui eum annis nouem ludificauerant, omninò deferuit. Poftmodum autem III. Nonas Maij, fuæ ætatis anno tricesimo primo, cùm in *S. Simpliciani* rus concessiffet, ad Deum conuerfus, perfectus demùm Christianus effectus eft: & fcholæ Rhetorices renunciâns, in Villam Cafiffiã, quàm fibi amicus nomine *Verecundus* cõcefferat, fimul cum matre & focijs *Alipio* atq; *Euodio* Tagaftenfibus ac *Nebudio* Carthaginienfi fecedens, ibique fe ad fufcipiendũ baptifma præparans, fcripfit libros *contra Academicos*, *de Beata vita*, & *Ordine*, & *Soliloquia*.

Anno falutis 386. ætatis verò fuæ tricesimo tertio, Honorio Cæfare & Euodio Cofl. ANNO  
386.

AVGVSTINVS cum *Adeodato* filio, annorũ fermè quindecim, & *Alipio* focio, à S. Ambro-

fio Episcopo in solennibus Pasche, sola super-  
 stite matre, eaq; praesente, baptizatus est. Quo  
 facto Monica mater incredibili adfecta gau-  
 dio, huiusmodi verbis eam dicitur allocuta:  
*Quid fili, hic amplius faciam? curq; hic diutius sim  
 nescio? Vnum erat, quo vitam mihi prorogari cu-  
 piebam, vt te scilicet Christianum viderem: quod  
 mihi cumulatius Deus meus praestitit; non enim  
 modò te Christianum & Catholicum, sed & con-  
 tempta felicitate terrena, seruum eius aspi-  
 cio.* Et Possidius ait, quòd ex intimis cordis  
 medullis da Deum còuersus, mox spem om-  
 nem, quàm habebat in saeculo, dereliquit: iam  
 non vxorè, non filios carnis, non diuitias, nò  
 honores saeculi querens, sed soli Deo cum suis  
 seruire statuit, in illo & ex illo pusillo grege  
 esse studens, quem Dominus alloquitur, di-  
 cens: *Nolite timere pusillus grex, quoniam còpla-  
 cuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite qua  
 possidetis, & date eleemosynam: Facite vobis sac-  
 culos non veterascentes, thesauros non deficientes  
 in caelis.* Et illud, quod idè dicit Dominus vir  
 sanctus facere cupiens: *Si vis esse perfectus, vède  
 omnia que habes, & da pauperibus, & habebis the-  
 saurum in caelis, & Veni, sequere me.* Et, *Super fi-  
 dei fundamentum aedificare desiderans, non  
 ligna, foenum, stipulam; sed aurum, argentum, &  
 lapides pretiosos.*

Sanctus Dacius Mediolanensis Episcopus,  
 cuius meminit S. Gregorius libr. 3. Dialog.  
 cap. 4.

cap. 4. loquens in suis Chronicis, de hac Diui Augustini admirabili conuersione, ait: Eodem tempore contigit, vt quidam magnus sapiens Manichaorum esset errore seductus, nomine Augustinus, argumentis dialecticis armatus, & postea Dei fidelis & Catholicus viuens Episcopus, cum in Ecclesia Mediolanensi non orationis curiositate, neque secundum causam vtilem videndi & audiendi diuini mysterij, sed reprehendendi gratiam Beatum Ambrosium de Incarnatione Domini ad populum inuenisset, tractantem, atque predicantem, oblitus sui & suarum omnium cogitationum, pallens & tremens, omnibus qui aderant videntibus obriguit, ac etiam finita monitione, quam ad populum Beatus Ambrosius ministrabat, primus ad eum Augustinus peruenit. Beatus autem Ambrosius cognita eius sententia, patefactaque eius disciplina, quid in arte valeret, qualiter quoque in fide Catholica dissentiret, & per Spiritum sanctum cognoscens, qualiter fidelis & Catholicus futurus esset, placidissime & multum charitatiue eum suscepit. Itaque letabatur Beatus Ambrosius super eum: sicut in Euangelio de quodam patre legitur, qui cadens super collum filij sui, quem perdiderat, & imponens annulum in digito eius, plorabat dum osculabatur eum. Tandem vero post multos dies nutu diuino, sicut multis videntibus, & sibi consentientibus palam oberrauerat; sic in fontibus qui B. Ioanni adscribuntur, Deo opitulante,

à B. Ambrosio, cunctis fidelibus vr̄bis adstantibus, & videntibus, in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis baptizatus & confirmatus est. In quibus fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus, decantantes, cunctis qui aderant audientibus, & videntibus, simulq; morantibus, ediderunt, quod ab vniuersa Ecclesia Catholica vsque hodie tenetur, & religiosè decantatur. Hæc S. Dacius.

Cùm Mediolano decessisset cum matre, filio, & socijs, vt in Africam ad lares proprios reuerteretur; atque ad Ostia Tibernia venisset, ibidem pia mater eius defuncta est. Et peractis, ex more, maternis exequijs, Augustinus Carthaginem adnauigauit; vbi per aliquot dies permansit apud quendam nomine Innocentium, virum religiosissimum, vt testatur lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. Ad propriam hinc domum agrosq; veniens, cùm ijs (vt Possidius ait) qui eidem adhærebant, Deo viuebat ieiunijs, orationibus, bonisq; operib; in lege Domini meditans die ac nocte.

AVGVSTINVS deinde eam sibi vitam delegit, quæ Monachica vocabatur: quod institutum iam (vt facilè credi potest) à S. Simpliciano monacho, qui eum de Christiana religione plurimum erudijt, Mediolani hauserat. Propterea lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. ait: *Venientes de transmarinis apud Carthaginem, Innocentius ex Aduocatis vicaria prefectura, cum*  
*tota*

*tot a domo sua religiosissimus, me & fratrem meum Alipium, nondum quidem clericos, sed iam Deo seruietes suscepit. Et lib. 3. cap. 40. contra litteras Petiliani Donatistæ, legitur: Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit institutū. Et in Enarratione in Psalmum 132. Quid ergò dicunt illi, qui nobis de nomine Monachorum insultant? Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres, cùm vident homines, Deo gratias, dicunt: Inuenistis vnde appellatis Agnostici, quia dicit Apostolus: Bonum agonē certavi. Quare ergò & nos non appellamus Monachos, cùm dicit Psalmista: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Et in Epist. 89. ad Hilarium, sub finem: Ego, inquit, qui hæc scribo; perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diuiti adolescenti: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me: vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic feci. Neque enim quia diues non fui, id minus mihi inputabitur; nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt: sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem noui ego, quàm quisquam alius homo; sed magis Deus quàm ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo*



confortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est; sic tamen, ut præcipue sana doctrina teneatur, nec eos qui ista non faciunt, vana contumacia iudicemus. Et in Serma. de vita & morib. Clericorum, quem etiam in suo Indiculo Possidius inter D. Augustini opera commemorat, eundemque in Concil. Aquisgranensi, & apud Bedam citatum comperimus: Ego, inquit Augustinus, quem Deo propitio videtis Episcopum vestrum, iuuenis veni ad istam civitatem. Querebam vbi constituerem monasterium, & viuerem cum fratribus meis: spem quoque omnem sæculi reliqueram. Et paulò infrà: Veni ad istam civitatem ad videndum amicum, quem, putaueram me lucrari posse Deo, ut nobiscum esset in monasterio. Et infrà: Et quia disponebam esse in monasterio beata memoria senex Valerius dedit mihi hortum illū, in quo nunc est monasteriū. Cæpi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes, me, ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic facerent & illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viueremus. Et S. Paulinus in epist. ad Alipium rogat, ut salutet fratres in monasterijs, Carthagine, Tagastæ, Hippone regio, & totis parochijs suis, atque omnibus cognitis sibi per Africam locis, Domino catholicè feruientes. His interpositis ad vitæ seriem redeamus.

Anno Christi 391. ineunte, anno ætatis 38.

Augu-

Augustinus à Valerio Episcopo Hipponensi accersitus, in Ecclesia Hipponensi presbyter ordinatur, mortuo iam Adeodato filio. Sequenti anno v. Idus Septem, in vrbe Hipponne insignem habuit duobus diebus cum Fortunato, Manichæorum presbytero, disputationem. Duæ aliæ pòst fuère eiusdè in eadem vrbe disputationes, vna tribus diebus cum Felice Manichæo, altera acrior & celebrior cum Maximino Episcopo Ariano.

Anno Christi trecentesimo nonagesimo sexto, ætatis suæ xli. Augustin. in Hippone regio, ciuitate Numidiæ, in Africa Episcopale munus suscepit, viuente Episcopo Valerio, quod summa sanctitatis & doctrinæ laude annis triginta quatuor gessit. Cuius rei meminit S. Paulin. ad Romanianum, vbi ait: *Non autem tantum hoc scribimus gratulandum, quòd Episcopatum Augustinus acceperit, sed quòd hanc Dei curam meruerint africana Ecclesia, vt verba cœlestia Augustini ore perciperent, qui ad maiorem Dominici muneris gratiam nouo more prouectus, ita consecratus est, vt non succederet in in cathedram sed accederet. Nam incolumi Valerio, Hipponensis Ecclesia Episcopo, Coepiscopus Augustinus est.*

Hoc tempore fuit illi cū Pascentio Comite Ariano in vrbe Carthageniensi disputatio: & antea priuatim & obiter cū Fortunato quodã Episcopo cògressus fuerat: vt patet ex ep. 163.

Anno

Anno Christi 426. die 26. Septembris Augustinus vnà cum duobus alijs Episcopis, in Ecclesia confedens, præsentibus presbyteris septem, astante clero & frequenti populo, designat presbyterum Heraclium Episcopum sibi successorem: vt patet ex Epist. 110.

Anno Christi 430. die 28. Augusti Sanctus Augustin. Hippone obiit, libris Iuliani Apostatæ, (referente Prospero Aquitanico) VVandalis urbem obsidentibus, sub ipsum suæ vitæ finem respondens: quo etiam tempore, vt S. Libertus ait, Theodosius Imp. ad eum litteras per Ebagnium Magistrianum scripserat, vt Ephesino Concilio interesse dignaretur.

Corpus ibidem in basilica S. Stephani conditum annis 62. honorificè iacuit, inde in Sardiniam, ac demùm Ticinum seu Papiam Italiæ urbem translatum. Vixit ann. 76. menses 9. dies 16. *Ita Iosephus Pamphilus in Chronicis ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini.*

## CAPVT III.

ORDINVM MONASTICORVM  
à Sancto Augustino profectorum primordia.

**C**VM Græcia totusq̃ue Oriens religiosis hominibus multiplicandis operam daret, ne alias quidem orbis partes ista laude caruisse